Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 713
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 154. *Liber Augustini de agone christiano.* Initium: *Corona Victoriæ non promittitur nisi certantibus* &c. Abrumpitur jam C. X. in his verbis: *non eius opere sed nostra uoluntate meruimus.* Extat *Opp.* T. VI. *col.* 245. Lectio nostra proba.

CCCXXXII.

R. 3283 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 222. f. max. per duas columnas primum quidem charactere crasso, atro, luculento, dein tenuiore nitido, utroque tamen eleganter exaratus, rubricis distinctus, et olim *Monasterii B. V. in Gærsten* O. S. B. quod fuit in super. *Austria*, constat sequentibus: I. *Incipit sermo I. beati Augustini super secundam partem Johannis.* Secundam Partem vocat Noster illos Tractatus, qui in Edit. *Maur.* T. III. *col.* 653. a Tract. LV. ad CXXIV. id est ultimum porriguntur. Ipse vero a I. ad LXIV. numerando progreditur. Integra sunt omnia, nec deest, quod ad lectionis variationem notari mereatur, cujus specimen e Tract. seu *Sermone* I. adscribam.

Codex	Editio
posse donauerit *explicemus*	posse donaverit *explananda*
propterea *quia* tunc primum	propterea tunc primum
Aegyptii transierunt, *non enim persequendo manserunt*, non tamen transierunt	Omittit: *non enim persequendo manserunt*
Caput, quod hinc *transisse noverant*	quod hinc *transisset*
Non *probibemur intelligere*	Non *probibemus intelligi.*
in *usu* mala et in effectu bona	in *usum* mala et in effectu bona
Euangelistarum uestigia *consummavit*	Evangelistarum vestigia *confirmavit.*
Quia *enim* homo superbus — venit *etiam.*	Quia homo superbus — venit *enim.*

II. *fol.* 119. *Incipiunt capitula beati augustini super Johannem. De uerbis domini.* Postremum verum est; est enim Elenchus *Sermonum De Verbis Domini* numero LXII. Itaque desunt ultimi II. e T. V. edit. *Maur.* reliqui vero decurrunt juxta *Ordinem veterem* ibidem praefixum, nisi quod *Quintus* loco motus est, et constitutus *Decimus octavus.* Lectio proba est, et quae discrepant, vix animadversione digna sunt. Neque illud admodum necesse est monere, quosdam horum *Sermonum* a *Maurianis* in *Appendicem* remissos esse.

III. *fol.* 221. p. 2. Accedit Catalogus chronologicus Rom. Pontificum a S. *Petro* ad *Adrianum* I. et annum DCCXCVI. quem ulterius